

DE CULICE VERGILII

In Culice editores plus peccaverunt quam librarii. Versus 198—200 quidem coniecturis maxime vexaverunt codicibus sic traditos:

et quod erat tardus omni languore remoto
nescius aspiciens timor obcaecaverat artus
hoc minus implicuit dira formidine mentem.

Varia coniecerunt, Aem. Baehrens:

et, quo erat tardus, somni languore remoto,
quo plus astringens e. q. s.;

Leo: et quod erat virtus, omni l. remoto,
nec prius (hoc ex Silligii coniectura) aspiciens e. q. s.;

Ellis: et quod erat tardus somni l. remoto
+ nescius e. q. s.;

Vollmer: versum primum ut Ellis constituit (sed pro ,remoto'
legit ,remoti'),
secundum ut Leo.

Ecce pastor serpenti necem parans. Qui culicis aculeo ictus cum prosiluisset, ramo ab arbore detracto serpentem petivit. Verba codicibus tradita sana sunt praeter mendam scripturae quae vocatur continuae levissimum: ex TARDO-SOMNI ,tardos omni' exortum, inde ,tardus omni' (similiter v. 176 ex TORVOS(S)AEPIVS ,torvo saepius' pro ,torvos saepius'). Restituas igitur poëtae ,tardo somni languore remoto'. Dictum autem est ,tardus somni languor' ut ,tarda podagra' (i. e. quae homines tardos reddit) Hor. Sat. I 9, 32, ,tarda senectus' II 2, 88, ,tarda (i. e. retardantia) et contraria bellum inchoaturo' Tac. Agric. 18.

Versus sic interpungendi sunt:

et quod erat tardo somni languore remoto
nescius — aspiciens timor obcaecaverat artus —
hoc minus e. q. s.

Nescius' cave mutes; quod si recte intellexeris, ingenii acumen poëtae non poteris non admirari. Haec enim dicit: Pastor quoniam somno subito excitus vel potius exterritus erat ac repentina ictus formidine (aspectu ipso monstri terribilis tenebrae oculis eius offusae erant) ratione ac consilio non adhibito (quod si adhibuisset periculo adeo imminente magis impeditus quam adiutus esset), sed instinctu quodam naturae quasi invitus egit, nescius, i. e. neque quid ageret neque formidinis sibi conscius (v. 200 hoc, i. e. eo, minus implicuit dira formidine mentem). Ceterum editores versum 197 quoque perperam mutaverunt ita traditum:

ictibus ossa ferit, cingunt qua tempora cristam
(scribunt ,cristae', codicis E Paris. man. 2. secuti).

Serpentem enim istum, cui crista superne edita' (v. 171 sq.), ammodytem esse apparet (Germanice Sandviper), qui tuber quoddam in vertice habet. Cuius tuberis cum ab utraque parte tempora sint, temporibus cristam cingi poëta recte dicit. Pastor igitur cum ossa serpentis ictibus petere dicitur, qua tempora cristam cingunt, caput petere dicitur.

Versus 243—246. Poëta impios in Tartarum deiectos enumerans, Tityon (237), Tantalum (240—242), Sisyphum (243—245), sic pergit:

+ sibilite¹⁾ (vel ,sub lite²⁾) puellae,

ite, quibus taedas accendit tristis Erinys (mulieres scilicet infausto matrimonio funestatae). Pro voce corrupta ,sibilite' quae viri docti proposuerunt, (sibi, ite' Heinsius, ,situlae ite' Haupt, ,cervice' Baehrens, ,sinite ite' Leo, ,cribro ite' Ribbeck, ,frustratibus. ite' Ellis), aut cum ratione versus pugnant aut a lectione tradita nimis recedunt. Mihi ,sibilite' nihil nisi *παράκοσμος* leve quoddam videtur esse, ita ex ,simul ite' quod commendavit Vossius ortum ut ex insimul vocabulum francogallicum ensemble. Totus hic locus sic interpungendus:

quid?³⁾ Saxum procul adverso qui monte revolvit,
contempsisse dolor quem numina vincit acerbans,
otia quaerentem frustra. Simul ite, puellae,
ite e. q. s.

¹⁾ Cod. C(antabrig.) s. X et codd. L(udi iuvenalis).

²⁾ Cod. F Corsin. s. XIV et cod. B(embin. s. IX/X) man. 2; eu rite cod. V(atice. s. XIII).

³⁾ Ita editio Ascensiana (1507) emendavit vocem ,qui' codicibus traditam. ,Quid?' oratorie positum significat ,porro'.

Voce ‚simul‘ poëta ab impiis viris ad mulieres transit impias.

Inter heroas apud inferos degentes poëta M. Curtium nominat, ‚mediis quem quondam sedibus Urbis devotum bellis consumpsit gurgis in unda‘ (v. 363 sq.). In verbis ‚devotum bellis‘ editores offendisse valde miror, siquidem cum Phædrus dicit IV 5, 6 ‚devotam vino tertiam (sc. filiam)‘ et Seneca Epist. 81, 20 ‚nemo illi (sc. virtuti, mihi videtur) magis esse devotus‘ et Suetonius Cal. 30 ‚equestrem ordinem ut scenae harenaeque devotum‘ tum Lucanus X 176 ‚O sacris devote senex‘ et III 311 ‚accipe devotas externa in proelia dextras‘, qui nescio an huius loci Culicis (quem Lucanum constat legisse, cf. Sueton. Vit. init.) illic meminerit. ‚Devotum, i. e. deditum, bellis‘ idem sonat atque Livianum illud quod de eodem protulit Curtio: ‚iuvenem bello egregium‘ (VII 6, 3).

De auctore carminis obiter monere non alienum mihi videtur esse poëtam cum in quibusdam pueriliter luderet, alia egregie excogitata composuisse, velut capellas describentem pascentes (v. 45—57), serpentem (v. 163—182) eiusque necem (v. 189—201), tumultum culicis (a v. 385 usque ad finem); ut ex ungue facile agnoscas leonem, indolem scilicet pueri vel adolescentis qui magnus evasurus sit poëta. Quae cum ita sint, quid est cur fidem detrahamus Donato i. e. Suetonio dicenti (Vit. 18) Vergilium Culicem fecisse, cum esset annorum XVI.

Vindobonae.

Carolus Mras.